AUSPICIIS DIVINIS:

De

JURAMENTO MANDATARII IN ANIMAM PRINCIPALIS,

sub Moderamine

VIRI

ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIMI

DN. NIC. CHRISTOPHORI LYNCKERI,

JCti, Hereditarii in Flurstät & Kötschau/
Serenissimo Duci Saxo-Vinar. à Consiliis intimis,
Juridicæ Facultatis Senioris & Antecessoris primarii,
ut & Curiæ Provincialis ac Scabinatus Assessoris
gravissimi:

Domini Patroni ætatem devenerandi,

IN

INCLYTA SALANA ACADEMIA,

Ad Diem Augusti publicè disputabit

AUTOR

JOHANNES HEINRICUS JACOBI,

è Guestphalis Susatensis.

IENÆ,
Literis GEORGI HEINRICI MÜLLERI.
ANNO CIↃ IↃC XCII.



DEO Duce Comiteque Virtute.

PROLEGOMENA.



QUemadmodum in vulgus nota est regula, ex æquitate naturali desumta *l. 1. ff. de pact: nihil tam humanæ fidei consentaneum est, quam ea, quæ placuerunt, servare;* ob justissimam, quam præ se fert rationem, repetita in *l. 20. pr. C. de transact.* Et confirmata *l. 1. pr. ff. de Const. pecun.* Ita ex parte adversâ etiam constare autumo, quod excrescente hominum malitiâ, simplici assertioni vel negationi vix credatur, & quod à nonnullis etiam iis, quib9 fides data ut servetur, curam agere maxime incumberet, ob privatum etiamsi modicum aliquod interesse, non consideratâ naturali æquitate potius depravatam sequentes naturam, ea pessimè negligatur, ut vix id, quod promissum est, obtineri possit, præprimis ab iis, qui non facilè conveniri, vel ob potentiam plane ad fidem datam servandam, vi externâ coërceri nequeunt, maximo proh dolor! hominum inferioris conditionis damnô. Utinam Germaniæ nostræ antiqua laus integra ac inviolata maneret! tanta enim fidei exuberantis & innati candoris prærogativa Germaniæ tributa, ut etiam exteri alias germanicæ nationi invidi, formulam

 sanctè

ſanctè aliquid promittendi ſub fide Germanicâ *par Foy d'Allemagne*, receperint. vid. Myler ab Ehrenbach *in Nomolog. Ord. Imper. cap. 6.* §. 3. Poſtquam igitur peſſima hæc conſuetudo apud pleroſque invaluerit, optimè cautum quærere remedium, ad fidem datam ſervandam magis obligans. Cùm itaque juramento nullum vinculum ad adſtringendam fidem & conſervandum politicum ordinem arctius deprehenſum ſit, hoc ad aſſertionem confirmandam jure voluntario receptum, & quoniam ipſe ſummus & qui ab eo dependent Monarchæ hoc, quamvis diverſo modo, uſi fuerint & adhuc utantur, non eſt quod dubitemus, an jurare liceat, ſi enim per ſe malum eſſet jurare, profectò Deus non juraſſet *c. 26. X. de jurejur.* quamvis plurimi reperiantur, qui locis quibusdam S. Scripturæ permoti juramenta Chriſtianis ſub novo fœdere interdicta eſſe, falsò ſibi perſvadent; Recepto igitur juramento tanquam licito, conſequens eſt, ut videamus, an etiam extenſio illa, quâ alter in animam Principalis jurat, tanquam licita admitti poſſit; cum enim de juramento in genere plurimi exſtent Commentarii, hinc ne à plurimis acta agam, operæ pretium duxi, potius me conferre ad dictam Selectam, de juramento Mandatarii in animam Principalis materiam, hæc enim cum ab aliis (quorum conſilium ſequi maxima mihi erat religio) elaboratione digna judicata fuerit, mihi quoque arriſit, præprimis ob notiſſimam & in judiciis (etiam ſupremis) frequentiſſimam formulam: In ſeines Principalen Seele ſchweren. Quid igitur circa hanc formulam juris ſit, præſenti Exercitatione Academica, pro ætatis ac ingenii modulo, aſſiſtente Divini numinis clementiâ Tibi L. B. tradam. Fave modo auſis, perpendendo inſimul, ſat eſſe in arduis tentaſſe ac voluiſſe.

CAP.



Cap. I.

De
DEFINITIONE NOMINALI AC REALI.

Thesis I.



Um voces, quarum ministerio ad res exprimendas utimur, rarò in nativâ suâ significatione acquiescant, ac nomina præprimis artis, secundum Celsum *l. 7. §. 2. ff. de Suppell. leg.* non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu, exaudiri debeant, operæ pretium esse existimamus imitari JCtos, qui magnam semper in explicandis vocibus diligentiam adhibuerunt, *arg. pr. J. de testam. ordin. l. 236. de V. S.* probè scientes quòd terminorum cognitio sit via, quæ nos ad multarum legum verum intellectum provehit. *Introitus.*

Th. II. Sepositâ verò jam vocis *juramenti* primo occurrentis Etymologiâ & neglectis cæteris ad Criticorum curam spectantibus (hæc enim jam dudum publici juris fecerunt alii, qui de juramentis in genere egerunt) notamus solum, quod vox juramenti hic *propriè* (1.) sumatur, quatenus est species invocationis Dei (2.) *in bonam partem* pro obsequio sc. quod Deus ejusque nomine Magistratus à nobis jurejurando exigit. *Homonymia.*

Th. III. Notanda insuper frequentissimè apud juris Romani conditores accceptio (1.) *vocis Sacramenti* pro juramento *l. 12. pr. C. de Reb. cred. l. 8. C. de legat.* quicquid enim jurisjurandi sacratione gerebatur, illud veteres dixerunt juramentum, & tali Sacramento se mililites suo adstringebant Duci. Magnif. Dn. Stryck *in not. ad* Brunnem. *Jus Eccles. l. 2. membr. 2. c. 1. §. 1.* *Synonimia.*

voce

voce Sacramenti, malè verò usus Sacræ Cœnæ pro juramento habetur, hinc maximus Ecclesiæ Romanæ olim fuit abusus, ubi instar Jurisjurandi Henr. V. Imp. & Pontifex Paschalis II. S. Eucharistià usi sunt ad confirmationem fidei in pactis civilibus, præprimis eo ipso voluerunt confirmare pactum istud de investitura Episcoporum (2.) etiam in jure nostro Justinianeo juramentum *religio* dicitur, *l. 18. C. ex quib. caus. infam. irrog.* adeò, ut certum sit, jusjurandum non aliter obligare, nisi metu religionis Barbos. *axiom. l. 9. c. 126. §. 12.* Jurare alias exprimitur his phrasibus, *accipere seu assumere nomen Dei Exod. 20, vers. 7. Deut. 5. vers. 11.* In jure civili dicitur etiam jurare, *ex sua conscientia satisfacere* Seraph. de Seraph. *de Privileg. Juram. in addit. ad Prafat. n. 18.* Sic Laberius appellat Juramentum æris alieni emplastrum, imitatus fortè Ciceronem *l. 1. epist. ad Atticum epist. 16.* dicentem abjurat creditum. Vid. Biccius *in Consuet. Feud. ad 2. Feud. 3. p. 231.*

Etymologia. Th. IV. Vox *Mandatarii* à mandato sive mandare, quasi à manu danda natales suos trahit, & hoc inde, quod in mandatis dandis, accipiendisque manus sibi invicem dare mos fuerit, quem adhuc hodiè in mutuis promissionibus videmus observari. vid. Calvin. *Lexic. Jurid. voc. Mandare.*

Th. V. Intelligimus verò hic per mandatarium, in genere eum, qui aliena negotia mandato accepto administrat. *c. 8. Salvator. t. 1. q. 3,* dicimusque cum Hostiens. *tit. de procurat. n. 1.*

Synonimia. *ferè in fin.* quod nil obstet sive dicatur actor, sive procurator, sive legatus, sive œconomus, sive etiam nullum nomen exprimatur, dummodò de mente constituentis, ejusque mandato liqueat *c. 9. de procurat*, quamvis de jure civili hæ personæ enumeratæ non conveniant omnes cum mandatario, uti ex *tt. de procurat. Mandat. & ex l. 11. C. de procurat.* constat. Notanter verò in dictis personis mandatum necessarium esse diximus, ad excludendum scil. negotiorum gestorem ac defensorem, qui absque mandato aliena negotia gerunt, *l. 43. §. ult. l. 46. §. 2. de procurat. l. 5. §. 6. Judicat. Solv. l. 41. C. de Negot. Gest.*

Homonymia. T. VI. Particulam *In* quod concernit, variè illâ utuntur JCti, aliquando denotat idem, quod *sub Nov. 88. c. 1. pr. verb.*

in

in quibusdam conditionibus, quandoque idem quod *pro l. 12. C. de usufruct. verb. in annos singulos*, h. e. pro annis singlis, sed missis aliis acceptionibus, optimè huc quadrare videtur, acceptio Ulpiani *in l. 1. §. 9. ff. de Quaest.* ubi dicitur, *in caput alterius torqueri, h. e.* in alterius discrimen vel alterius periculo torqueri.

Th. VII. Sequitur in rubrica vocabulum *animae*. Sumitur verò hîc anima non tam *propriè*, pro parte illa hominis praestantiori, sive anima rationali, quàm *impropriè* & *synecdochicè* pro personâ seu homine totô, uti *Genes. 12. vers. 5. Psalm. 16. vers. 10.* ubi Propheta clamitat: *non linques animam meam*, i.e. Me. Sic *Luc. 12. vers. 19.* ubi dicere animae suae, est dicere sibi ipsi, quô etiam sensu Latini solent usurpare animam, sic Cicero Terentiae & Tulliolae: *Vos meae carissimae animae saepè ad me scribite.* Virgil. *occurrunt animae, quales neque candidiores, terra tulit.* *Homonymia.*

Th. IIX. Denique considerandа venit vox *Principalis*, quae in omnium linguâ ac ore fermè haeret, eam verò à Principio derivari posse putamus, quasi Principalis à principio & primo omnium dominetur ac caeteris praesit; nam Principales olim erant decurionum primi, à quibus distributionem omnium forma processit. Calv. *in Lexic. Jurid. voc. Principales*, vid. *l. 27. §. pen & ult. ff. de poen. l. 2. §. 2. ff. de orig. Jur.* *Etymologia.*

Th. IX. Sumitur etiam vox *Principalis adjectivè l. 2. ff. de offic. adsess. l. 3. §. 1. ff. de Separat. l. 2. ff. de vulg. & pupill. subst.* quae acceptio non est hujus loci, sed vocem *Principalis substantivè* accipimus, prout significat mandantem, non quatenus in *l. 2. §. 1. C. Quand. & quib. quart. pars deb.* pro curiali sumitur. *Homonymia.* *Synonymia.*

Th. X. Perlustratâ definitione nominali, pergimus ad realem. Cum verò difficilimum ac periculosum sit, literarum quoque peritissimo, exactam omnibusque absolutam numeris, cujusvis rei dare definitionem; igitur apponemus solum aliqualem descriptionem, dicimusque, quod Juramentum Mandatarii in animam Principalis sit, *religiosa rei alicujus asseveratio, à mandatario mandato. Principalis in animam ejus per invocationem Dei in testem facta, ipsum mandantem obligans.* Non erimus hic soliciti de quarundam formularum asseverandi vi ac naturâ, nec de QQ. illis, an per angelos & per creaturas jurari *Defin. realis*

ri possit, vid. Myler ab Ehrenbach *Nomolog. Ordin. Imper. cap. 6. per tot.* Illustris Dn. Struvius *Patronus ac Praeceptor meus aetatem devenerandus Ex. 17. th. 5. seqq.*

CAP. II.

De

CAUSA EFFICIENTE.

THESIS I.

Causa effic. remota.



Ntequam ad ulteriora progrediamur, disquirendum paucis erit, an juramentum hoc mandatarii in animam Principalis, de quo hîc agimus, repugnet juri naturali, divino, canonico, civili, feudali, ac statutis & moribus hodiernis?

Jus naturale.

Th. II. Et qvidem, ut de jure naturali quod ab immortali naturâ omnium mortalium cordibus insitum prius dispiciamus (dissentiente licet Justo Oldekop, & hoc juramentum ab omni jure alienum esse nimis audacter asserente, rectè ob id notatô à Feltman *in tr. de promot. absent.*) nihil sanè invenimus in nostro themate, quod naturali juri contrarietur, huic enim si repugnaret etiam contra bonos mores esset, *l. 25. ff. de leg.* quicquid verò, secundùm elegans illud effatum, bonis moribus contrarium, illud nec facere nos posse credendum est, *l. 15. ff de condit. inst.* Hinc posito contrario, quod scilicet adversetur juri naturali, necessum etiam haberemus contrarium, nempe ab omni jure hoc juramentum alienum esse, cum ante citato Auth. ob rationem adductam asserere, quod nihil aliud esset, quàm iniquitatis accusare Constitutiones, quibus juramentum per mandatarium praestitum approbatur.

Jus divinum.

Th. III. Sicuti verò hoc juramentum jure naturali licitum esse diximus, ita quoque juri divino, si ob justam causam fiat, conveniens esse, videtur probari posse ex *Jos. cap. 2. vers.*

verſ. 12. & ſeqq. cap. 6. verſ. 22. verum hæc, ne falcem in alienam meſſem immittamus, noſtra non faciemus, ſed verbo revelato incumbentibus relinquimus. Licèt contrarium (1.) nobis perſvadere non poſſit Oldekop, quod nomen Domini hoc juramento in vanum aſſumatur, & contra ſecundum Decalogi præceptum peccetur, nec (2.) exemplum tam Hiobi jurantis in propriâ perſonâ *Hiob. 27. verſ. 2.* quàm Pauli Apoſtoli dicentis *2. Cor. 1. verſ. 23. Ego autem teſtem invoco in animam meam*, nam ſicuti primum aſſertum adhuc indiget probatione, ita ad (2.) Reſp. quod & hodiè adhuc in propriâ perſonâ juramentum & quidem communiter præſtari ſoleat, ex hoc tamen non inferendum quod ob certam cauſam non poſſit per tertium jurari. Nec obſt. (3.) quod juramentum ſit actus religioſus, non verò poteſt alius pro alio actum religioſum exercere. Reſp. prius concedendo, poſterius negando, nam nemo in dubium vocabit orationem eſſe actum religioſum, cum tamen alius pro alio orare poſſit, imò jubeatur. vid. *Jerem. 42. verſ. 9. & 20.* *Object. 1.* *Object. 2.* *Object. 3.*

Th. IV. Jus canonicum, quod in terris Proteſtantium quoad juramenta, non tamen ex juſſu Pontificis, ſed liberâ receptione maximum habet uſum, imò teſte Dn. Struvio *Synt. Civil. Ex. 2. th. 93.* juri civili in hac materia prævalet, juramento mandatarii in animam Principalis maximam tribuit vim, adeò ut hoc jure non ſolùm per mandatarium præſtari poſſit juramentum calumniæ, *c. fin. de juram. calumn. in 6to. C. 6. & 7. X. de juram. calumn.* non obſt. *c. 1. pr. ibid.* ſed etiam homagium & juramentum fidelitatis. *c. un. de Stat. Regular. in 6to.* Idem ferè dicendum eſſet ductu *c. 2. de Teſtib. & atteſtat. in 6to.* de juramento veritatis (per quod intelligimus illud, quod teſtes de veritate dicenda præſtant) niſi *in c. licet ex quadam 47. X. de teſtib. & atteſtat.* à teſtibus proprium juramentum requireretur. Nec obſt. (1.) *d. c. 2.* nam Abbas non tam alienô, quàm ſuô nomine de veritate dicenda jurat, uti & hoc expreſsè jure civili facere jubetur, Hahn. *de Differ. Jur. Civil. & Canon. th. 9. p. 360.* præprimis, ſi notitiam cauſæ habeat, *l. 2. §. 2. C. de jurejur. propt. calumn.* ibique Brunn. *n. 11.* nec obſt. (2.) quod in *c. veritatis 14. X. de jurejur.* dicitur, juramentum eſſe perſonale, nec perſonam ju- *Jus canonic.* *Obj. 1.* *Obj. 2.*

rantis

rantis egredi. Cùm *d. cap.* solum loquatur de heredibus. qui juramentis defunctorum non adstringuntur, Wesenbec. *1. conf. 15. n. 28.* Alia verò ratio est, si quis mandet suô nomine jurare, qui enim facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum *c. 72. de Reg. Jur. in 6to.* *ibique* Brunnem.

Jus civile. Th. V. Quamvis de jure civili mandatarius loco Domini agere ac conveniri possit, *l. 1. §. 2. ff. de procurat. c. 68. de Reg. Jur. in 6to.* hinc etiam jurare in animam Principalis ei sit concessum, *l. 9. §. 6. & l. fin. §. 2. ff. de jurejur.* maxime si ei delatum sit. vid. Eckolt *ad tit. de jurejur. ibique* Dn. Schwendend. Ob certas tamen rationes hanc potestatem ipsi denegare videtur (I.) parte adversariâ refragante *l. 26. pr. ff. de jurejur.* & Judice ob certas circumstantias Principalis præsentiam desiderante *l. 24. §. 4. C. de jurjur. ibique* Brunnem. Hillig. *l. 24. c. 3. lit. K.* Joh. à Sande *Decis. Frisic. tit. 9. def. 1.* nec in hoc casu à præstatione hâc personali immunes dicit Seraph. de Seraphin. *de privileg. Jur. privil. 111. n. 12.* personas egregias & in dignitate constitutas vel alias impeditas *l. ad egregias 15. ff. de jurjur.* quæ vult, ut ad has mittat judex aliquem, qui juramentum ab ipsis recipiat, quod non esset necessarium, si possent jurare per mandatarium, non obst. *l. 25. & Auth. Hoc jus stabit C. de Procurat.* ratio hæc est, ne aliàs injuria fieret deferenti, qui ab ipso Domino præstari vult, cum multum quandoque intersit à quo juretur, Bachov. *vol. 1. Disp. 21. th. 1. lit. A. in fin.* Sic Judici interdum interest præsentia Principalis, ut ex juraturi vultu pejerandi voluntatem magis animadvertere & juraturum dehortari possit Brunn. *ad l. 24. C. de jureiur. n. 41.*

Th. VI. Prohibetur quoque (II.) mandatarius præstare juramentum calumniæ nomine Principalis *Nov. 124. n. 1.* & ex hâc desumptâ *Authent. Principales C. de jurjur. propt. calumn.* ibique Brunnem. *n. 13.* Principalis enim causam suam ac ejus merita melius scire præsumitur, quàm mandatarius. Nec

Obj. 1. obst. (1.) *l. 13. §. 13. ff. de damn. infect.* quò etiam Dieteric. *ad A. B. tit. 19. p. 78.* & Treutl. *vol. 1. Disp. 21. th. 4. lit. d.* convincere velle videntur, negantes jure civili juramentum calumniæ à mandatario in animam Principalis præstari posse. Sed responde-

tur

tur (α) *ad d. l. 13.* quod hæc lex ne vocabulo quidem indigitet, nedum expresſè dicat, cautionem hanc alienô nomine postulantem, in alterius animam debere jurare. (β) In *d. l.* cautionem damni infecti postulans non consideratur tanquam persona accessoria, sed quasi Principalis, neque ut mandatarius, sed tanquam Negotiorum gestor sive defensor, uti simile exemplum habemus in *l. 39. ʃ. 1. ff. de procurat.* Et posito *dict. legem 13.* de alio casu loqui, Resp. (γ) posset, quòd casu singulari & extraiudiciali admissum est, illud non trahendum ad consequentias; alias enim Justinianus, introducens hoc juramentum, quo calumniis & fraudibus occcurrere voluit, spe suâ planè frustratus esset, si non ab ipsis Principalibus partibus præstetur: quæ aliàs, quamvis hoc juramento in eorum animam à mandatario præstito obligentur, & reverà periurium committant, dum mandatarius pejerat, & sub periculo animarum Principalium falsum profert; non tamen satis obligatas se putarent; Bachov. *Vol. 1. D. 21. th. 4.* præprimis hæ, quæ juramenta non magis curant, quàm antiquæ & ruinosæ domus fumum. Pruckman *Vol. 2. conf. 16. n. 36.* & perinde habent, ac si cum cato aliquo jocentur, ut loquitur Zasius *in l. 2 ʃ. 4. ff. de jureiur.* Nec obst (2) *l. 2. ʃ. fin. verb. Sin autem C. de jureiur. propt. calumn.* Ibidem enim non asseritur, quod absente Principali mandatarius possit præstare juramentum calumniæ, sed ne lis proteletur, etiam sine juramento in causa procedendum esse: nam juramentum calumniæ non esse de substantia judicii, tam ex *d. ʃ. fin.* quam *cap. 1. de Juram. calumn. in 6to.* constat. Bachov. *V. 1. D. 21. th. 3. lit. C.* ubi ad *l. 34. ʃ. 3. ff. de jureiur.* respond. Et aliàs, quod pro compendio litis introductum, in adversam figuram transformaretur. Brunnem, *ad d. l. 2. n. 70.* Alios textus, qui obstare possent, prætermittimus, cum plerumque loqvantur de procuratore in rem suam, in quo aliud obtinet, vid. Obrecht. *de jurament. calumn. cap. 6. n. 11.* Et quid longâ ad LL. *obst.* responsione opus est? cum dict. *Nov. 124. c. 1.* & ex eâ desumta *Auth. Principales. C. de jureiur. propt. calum. 1.* loco refutationis esse possint, Quamvis Bocer. *Cl. 6. Disp. 18. n. 9. lit. d, d, Nov.* solum ad actorem restringere, reum verò vel Obj. 2.

B pot

per se, vel per alium jurare posse velit; quod tamen ex hâc *Nov.* & *d. l. 2. §. 3.* non probatur. Absurdum enim esset, plus hac in re permitti reo, quam actori. add. *l. 12. §. 4. C. de jurejur.*

Jus feudale. Th. VII. Quid Jus feudale de mandatarii Juramento in animam Principalis statuat, luce meridianâ clariùs elucescit ex *2. F. 3. §. 1. vers. Sed utrum.* ubi dicitur, nihil interesse, an ipse vel alius investituram faciat vel suscipiat, si verò alius pro alio investituram accipit, necesse quoque est, pro eo juret, Dn. Struv. *Synt. J. F. c. 8. th. 6. n. 5. ibique cit. Auth.* Dissen-

Obj. tit Baldus, motus *2. F. 7. & 23.* putans reverentiam, quæ *dd. tt.* à vasallo erga Dominum requiritur, per interpositam personam impediri; cùm tamen etiam reverentiæ testatio à mandatario Principalis personam repræsentante fieri possit, *l. 31. §. 1. ff. de procurat.* vid. Hartman. Pistor. *l. 2. q. 47. n. 58.* Rosenth. *de Feud. c. 6. concl. 32.* ubi plures Dissentientes allegat.

Statuta ac mores hodierni. Th. IIX. Denique quod statuta & mores hodiernos attinet, extra omnem dubitationis aleam positum est, mandatarium in animam Principalis jurare posse, cum id non tantum Constitutiones Cameræ Imperialis evincant *Recess. Imper. de anno 1654. §. 43. & 117. Ordin. Camer. part. 1. tit. 65. & 74. verb.* Ihr werdet schweren einen Eyd zu Gott/ und auf das heilige Evangelium in eurer Partheyen und euer eigen Seel &c. Sed etiam observantia & praxis in Judiciis Germaniæ Principum & aliorum satis doceat Gail. *1. obs. 83.* Mev. *4. decis. 113. & 8. decis. 369.* Bocer. *Cl. 6. D. 18. n. 10.* Dn. Struv. *Synt. Civ. Ex. 17. th. 17.* à praxi verò non recedendum, cum sit vera legum interpres Marant. *p. 4. dist. 1. n. 74.* & Stylus pro lege observandus, adeò, ut faciat jus contra omnem dispositionem. *c. 11. extr. de constitut. §. fin. J. de satisdat. l. 11. in fin. C. de injur.* Cacheran. *decis. 22. n. 6.* Surd. *vol. 3. cons. 377. n. 38.* Putamus tamen posse adhuc hodie Judicem ipsum Principalem citare, ut ob certas circumstantias ipse juret, Carpz. *1. c. 12. def. 39.* Ziegler. *ad Lancell. l. 3. tit. 1. §. 13.* Brunn. *ad l. 2. C. de jurejur. propt. calumn. n. 19.*

Jus Saxonic. Th. IX. Notandum tamen, quod in foro Saxonico mandatarius ad juramentum non admittatur, sed quod Principales, etiamsi sint Illustres, semper jurare debeant in propriâ per-

personâ, Carpz. *Proc. tit. 11. art. 2. n. 32. seqq.* Zobel. *in addit. lit. D. ad* Landrecht *l. 1. art. 46. & l. 2. art. 22. lit. A.* add. Schultz. *in Synops. Judic. §. 46. p. 99.* ubi hoc in persona Comitis Brunonis de M. in curiâ Electorali Lipsiensi practicatum & in Scabinatu Lips. observatum esse, testatur. Restringit verò hoc Berlich. *p. 1. concl. 34. n. 26.* cum aliis ad juramenta judicialia, non verò in Juramento fidelitatis, homagio &c. obtinere vult. Aliam restrictionem, vid. apud Dn. Struv. *S. C. Ex. 17. th. 17.* Septentrionales quoque populos, Svecos, Danos, Holsatos, Saxonum jus sequi, testatur Val. Winth. *in part. litig. l. 2. c. 13. n. 21.* *Jus populorũ Septentr.*

Th. X. Causam efficientem remotam hactenus inspeximus, sequentia nunc brevibus edocent causam efficientem proximam: quam duplicem facimus, *Physicam* scil. & *moralem*, ad hanc reducimus omnes, qui juraturum ad jusjurandum inducunt & necessitant; quales sunt deferentes ac mandantes. *Physica* verò respicit ipsum jurantem, ipsiusque voluntatem & intellectum, tanquam juramentorum comites individuos. *c. 26. de jureiur. verb. dummodo tres comites.* Ab his enim vis jurandi dependet. Deficit verò intellectus & voluntas (1.) in Infantibus. *l. 5. ff. de R. I. §. 10. J. de inutil. stipul.* (2.) in Amentibus & Furiosis, quippe quos fati infelicitas in eam conjecit miseriam, ut id, quod agunt, non intelligant. *l. 40. de R. I. §. 8. & 13. Inst. de inutil stipulat.* Aliud dicendum, si dilucidis intervallis furor distingvatur. Semel tamen furiosus semper talis præsumitur. Brunnem. ad *l. 6. C. de Curat. furios. n. 1. seqq.* Quamvis aliàs dicatur, omnis amans amens, & ubi amor ibi furor, *C. 15. de præsumt.* putamus tamen, amorem omnem intellectum non excludere, Setser *de Juram. l. 1. c. 8. n. 57.* (3.) Ebriorum quoque intellectus & voluntas nulla est, imprimis, si ad eum ebrietatis gradum proventum sit, qui sanam mentem in exilium mittit. Hinc in *c. 14. X. de vita & honest. cleric.* furiosis comparantur. Male igitur facit judex, potatorem ad juramentum admittens, pejus Principalis mandatarium Vino adusto ad jurandum quasi inducens; pessimè mandatarius ejusmodi temerarius calices fæcundiores exhauriendo, adeò, ut vino sepul- *causa efficiens proxima. moralis. Physica.*

tus nesciat quid loquatur, & nihilominus non solicitus de vero & falso juret, add. *c.7. C.15.q.1.*

Th. XI. Destituuntur porrò intelligendi & volendi facultate civili (1.) *pupilli*, etiamsi babeant aliquem intellectum *§.9.& 10. J. de inut. stip. C.14.& 15. C.22.q.5.* Illud verò de Jure naturæ hic notamus, quod is, qui satis pollet judicio ad juramentum hoc præstandum, absque respectu annorum admittendus sit. Furor quidem facilius potest ostendi; sed cum in aliis citius, in aliis tardius maturescat judicium, pro diversitate quandoque educationis & conversationis, in universum definiri nequit, quousque quis sit impubes: sed illud tam ex quotidianis actibus dijudicandum, quàm ex eo, quod communiter in quâque regione accidit, desumendum. Grot. in incomparabili tractat. *de Jure Belli & Pacis l.2.c.11.§.5.n.2.* Determinatio verò legi civili relinquenda, vid. simul Dn. Puffendorffius *de offic. hom. & civ. l.1.c.9. §.11.* & qui hunc sequitur Dn. Thomas. *in Jurispr. divin. l.2.c.6. §.36.* Sic civilem Volendi & intelligendi facultatem in hoc juramento habere non censentur (2.) *Minores 17. annis*, cum postulare pro alio non possint, multo minùs igitur pro altero jurare poterunt. *l.1.§.3.ff. de postul.* Aliud dicendum, si minor 17. annis doli capax pro se juret, vid. *c.1. X. de delict. puer. Auth. Sacramenta puberum. C. Si adv. vendit.* Seraphin de Seraphin. *de Privil. Juram. priv. 83. n.24.* (3.) *Prodigi l.35. §.1.ff. de jurejur.* ibique Gothofred. & Brunnem. Comparantur enim pupillis & furiosis *l.12. §.2. de tutor. & curat. l.1.pr. de curat. furios.*

Th. XII. Sicuti in enumeratis personis deficit voluntas & intellectus partim naturalis, partim civilis: ita dantur adhuc aliæ personæ, in quibus, licet quidem voluntas & intellectus planè non deficiat, in hoc juramento tamen non attendatur; quod vel sit coacta vel dolo, culpâ aut errore inducta, cum errantis nulla sit voluntas, *l.15. de Jurisdict.* nam omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt: *l.76. de R.I.* maximè verò juramentum tanqvam actus religiosus, deliberatâ animi voluntate & destinatione præstandum est. Hinc certam scientiam desiderat, quæ in

in ignoranti, decepto, & errante deficit, *l. 116. de R. I.* add. Grot. *in supr. laud. tract. d. l. n. 1. & c. 13. §. 2.* ubi inquit, idem obtinere in juramentis, quod in promissis ob defectum Judicii locum habet, hinc juramentum æque ac promissio, ubi consensus deest, nihil operatur, Barbos. *axiom. l. 9. c. 126. §. 15. l. ult. C. de non num. pec.* ibique Brunnem. Setser *d. tr. l. 1. c. 26. n. 12. seqq.*

CAP. III.

De SUBJECTO ACTIVO ET PASSIVO.

THES. I.



Um juramenti præstationem necessariò præcedere debeat delatio, nam si quis juravit, nemine ei juramentum deferente, prætor illud jusiurandum non tuetur: *l. 3. pr. ff. de jurejur. l. 4. §. 1. de in lit. jur.* necesse quidem esset, ut prius personas deferentes examinassemus, sed quia illæ conveniunt cum his, qui juramentum in genere deferunt, igitur brevitati studentes nos remittimus ad hos, qui fusius in explicatione de juramento in genere personas deferentes consideraruntt, & potius jam agemus de præstantibus ac recipientibus hoc juramentum. *delatio juramenti.*

Th. II. Subjectum activum primô locô considerabimus, quod duplex facimus *negativum* & *affirmativum*. Ad hoc referimus personas, qui præstare hoc juramentum possunt, sive illis deferatur, sive referatur. Cum verò ex rubricâ constet, mandatarium præstare hoc juramentum, sciendum nos hanc vocem latè sumere, uti in *cap. 1. th. 3.* monuimus, hoc verò adhuc cum Lauterbachio *concl. forens. Ex. 23. ad lib. 12. Dig. tit. 2. th. 5.* notamus, quod juramentum hoc per mandatarium præstetur, non quidem, ut verum procuratorem, sed ut per nuncium tanquam vocis suæ organum & nudum ministerium præstantem: hoc enim etiam in iis, quæ personalia sunt fieri posse probat *cap. ult. de procurat. in 6to.* *Subj. activ. affirm.*

 Th. III.

Th. III. Quamvis regulariter sexus non obstet præstationi juramenti *l. 26. pr. ff. de jurejur.* & hinc mulier jurare possit: Gothofr. *ad d. l. 26.* non tamen hoc procedit in nostro juramento, quod mandatarium requirit, cujus officium virile est, *l. 18. C. de procurat.* ibique Brunnem. (1.) igitur *fœminas* ad juramentum in animam Principalis præstandum non admittimus, cum officiis virilibus fungi & alienis causis se immiscere, sit contra pudicitiam sexui congruentem. *l. 1. §. 5. de postul.* nec obst. *l. 41. ff. de procurat.* cum loquatur solùm de fœmina pro parente morbo aut ætate impedito causa cognita agente, sicuti etiam jure Bavaricô mulier tanquam procuratrix pro marito se sistere potest, modò renunciet SC. Vellejano, atque satisdet Illustris Dn. Præses, *Patronus ac Præceptor meus summè colendus in tr. de Gravam. Extrajud. cap. 3. p. 2. §. 11. p. 164.* Jure Saxonico fœminæ planè ad juramentum non admittuntur Land R. *l. 1. art. 46. vers.* Wo es aber den Frauen zu den Eyde kömt/add. Philip. *l. 3. Eccl. 60. n. 10.* Occasionem verò quod mulieribus in judiciis postulandi facultas ademta fuit, Carfania dedit, quòd sexus verecundiam in postulandô excessisset *l. 1. §. 4. d. postuland.* Dn. Stryk. *in discurs. prælim. ad usum moder. p. th. 10.*

Subj. negat. *fœmina.* *obj.*

Th. IV. Prohibentur à præstatione juramenti in animam principalis (2.) *Clerici*. His enim æque ac fœminis tam jure civili, *l. 17. pr. ff. de Episcop. & Cleric.* quàm canonico (exceptâ defensione miserabilium, Brunn. *ad l. 1. n. 10. C. ubi de ratiocin.*) procurationes aliorum negotiorum suscipere sub pœnâ interdictum est *c. ult. de de postul. c. 2. & tot. tit. ne Cler. vel Monach. se secul. negot. immisc.* add. *l. 25. §. 1. C. de Episc. & Cler.* ubi clericis jurare planè prohibitum esse quidam putant; quorum sententiam non probamus, loqvitur enim solum de juratoria cautione, & contrarium etiam satis constat ex *c. 4. & tot. tit. de jurejur.* Licèt aliàs etiam in quibusdam textibus Juris canonici dispositum inveniatur, quod clerici non debeant jurare, id intelligendum est, non simpliciter, sed quod eis sæpius interdictum sit, ne coram magistratu laico jurent, quod tamen moribus non observari, tradit Dn. Struv. *Ex. 17. th. 17.*

Clericus.

Th. V. Jurare in animam Principalis (3.) non permittitur

titur *Judæis*:, ficuti enim in Camera Imperiali receptum, ut hi non possint juramentum præstare per Christianum mandatarium, ita multò minus illi pro Christiano jurare poterunt, Wurmser. *tit. de procurat. obs. 4.* Wehner. *in observ. tit. Judæi* Brun. ad *l. 8. n. 3. C. de Judæis.* Nec (4) *Hæretici, Banniti, Excommunicati, Histriones*, ob pessimum vitæ genus & morum levitatem non admittuntur. Hæretici tamen nomen non ferit Ecclesias à Confessione Romanæ sedis in nonnullis dissentientes. Brunnem. ad Auth. Gazaros *C. de Heret. n. 5.* ibique cit. Klock. *vol. 1. conf. 24. n. 37.* *Judæus.* *Hæreticus, Bannitus &c.*

Th. VI. Præterea (5.) de *Infamibus* notandum, quamvis DD. ex *§. ult. J. de Except.* & *l. 34. C. de Decur.* colligant, procuratorem, quem nos etiam hîc nomine mandatarii comprehendimus, esse posse eum, qui infamis est: Dn. Struv. *S.C.Ex. 7. th. 30.* cum tamen *§. f. Inst. d. Exception.* de infamiâ dubiâ loqvatur, & hodienùm ipsorum officium honorabile sit; Mev. *3. D. 243.* adeò, ut, ne quidem nobilis hoc officio fungens jura nobilitatis amittat, Zas. *addit. ad n. 1. de procurat.* Mandatarium integrum fidei ac bonæ famæ ad juramentùm nomine Principalis præstandùm requirimus. Vilitas procuratorum olim exinde censetur orta, quòd linguam quasi venalem habuerint, ac quævis sive justa sive iniqua fuerint, defendenda in se susceperint. Horum exemplum adhuc hodiè imitantes, ac proh dolor! juramentum vix obulo æstimantes, sed iis ficuti pueri astragulis ludentes, ab ejusmodi infamiæ pœnâ, ac vilitate non esse liberos, nemo negabit, nisi quis eorum ignorantiam justi ac injusti, loco excusationis afferre velit. Sed hæc, præprimis in ejusmodi personis, non præsumenda. *Infamis.*

Th. VII. Egimus hactenus de subjecto activo, sive de personis juramentum in animam Principalis præstantibus: restat, ut jam consideremus subjectum passivum sive personas juramentum hoc recipientes. Breviter verò has personas recipientes dicimus illas, quæ juramentum in genere recipiunt, & coram quibus ipse mandans hoc præstare debuisset. An verò non per delegatum sive commissarium juramentum recipi, ficuti præstari potest? Affirm: cum etiam publici judicii *Subjectum passiv.*

exer-

exercitium propter absentiam mandari possit *l. 1. ff. de offic. ejus cui Mand. Jurisd.* & maximi præjudicii negotia intercedente speciali mandato per mandatarios expediri queant; *C. fin. de procurat.* quod quoque in feudis procedit *2. F. 3. §. Sed utrum.* etiam majoribus. Quamvis enim horum Regalium feudorum investituram ipse Dominus celebrare soleat, potest tamen etiam de iis per vicarium Dominus investire, & per consequens juramentum fidelitatis quoque recipere. Dn. Struv. *S. F. C. 8. §. 5. Recess. Imp. de anno 1521. §.* Und sollen wir. Nec obst. *A. B. tit. 5.* cum solum loqvatur de Imperii Vicariis; alia verò ratio est in Mandatario ad id specialiter ab Imperatore destinato; Imperator enim tum concessisse intelligitur, vid. Limn. *de Jur. publ. l. 4. c. 7. n. 28* Sicut hodiè videmus Imperatoris nomine Judicium Aulicum Imperiale juramentum fidelitatis à Vasallis inferioris conditionis recipere. Dn. Stryk. *in append. ad Exam. J. F. N. 4. p. 369.* Ita nonnullibi etiam singulariter, ut de feudis nomine Principis investiat, quidam constituitur, quem vocant Præpositum feudorum Lehnprobst. Dn. Struv. *d. l.* Sic quoque communiter post Coronationem Imperator per Commissarios homagium à civitatibus Imperii liberis recipit. vid. Europ. Herold. *p. 62.*

CAP. IV.

De

OBJECTO JURAMENTI IN ANIMAM PRINCIPALIS.

THES. I.

Objectum.



Onsiderato subjecto, ordinis ratio postulat, ut ad objectũ nunc propiùs accedamus. Versatur verò hoc juramentum in animam Principalis sicuti juramentum in genere, circa quamcunque rem ac causam honestam, non tam jurantem, quam Principalem suum concernentem, *l. 7. §. 16.*

§. 16. de pact. & tribus Comitibus sociatum esse debet, veritate, judicio & Justitiâ. *C. 26. de jurejur.* Gail. *2. obs. 77.* Si verò alterutro horum destituatur, invalidum dicitur. Barbos. axiom. *l. 9. c. 126. axiom. 31.*

Th. II. Nihil verò interest, an causa, de quâ juramentum hoc præstatur sit (1.) publica, vel privata, (2.) Judicialis vel extrajudicialis, (3.) civilis vel feudalis. Sic in feudalibus Principes & Status Imperii investituræ juramentum, per mandatarium sive legatum præstant. Rosenth. *de feud. c. 6. concl. 37.* Quo casu ablegatus feudi renovationem accipiens in animam Principalis sui, in die Seele und Gewissen seines Principalis, jurat. Finckelth. *de feud. disp. 3. th. 21.* Quamvis in Galliâ illud non observari tradat, Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Statib. Imp. p. 3. 92. §. 7. & §. 8.* addit, quòd quotidiè in Aulâ Cæsaris Principes ac Status Imperii per suos Residentes & Agentes feudorum renovationes requirant. Ita etiam Electores ab Episcopo Bambergensi non in propriâ personâ, sed per mandatarios recipere, ex Limnæo *tom. 4. in addit. ad l. 3. c. 7. n. 77.* notat Schweder. *Introd. in jus publ. part. spec. sect. 1. c. 8. §. 2. & c. 9. §. 6.* Causæ. I. Feudalis.

Th. III. Idem obtinet in aliis causis tam publicis, quàm privatis; Sic ad Electionem Imperatoris Elector ipse justo impedimento detentus, mediatè per Legatum, ad Electionem novi Imperatoris faciendam, comparere potest, cui facultas datur ad præstandum in animam sui Principalis quodcunque juramentum. vid. Dn. Simon, *Patronus ac Preceptor meus perpetùm Venerandus in Præf. Academ. p. 1. Diss. 3. cap. 1. th. 11. in fin.* Non tamen fidem impedimenti, quô Dominus ipsius detentus, cæteris juramento in animam ejus præstando, facere tenetur; Schweder. *d. l. c. 2. §. 14.* usuque hoc probatum esse testatur ibidem cit. Maurit. *Diss. de orig. Elect. c. 2. th. 9.* II. Electionis.

Th. IV. Quamvis textus jure Romanô deficiat, quis procuratoris sive mandatarii interventum, in causâ matrimoniali prohibeat, & jure Canonico cautum sit, matrimonium per mandatarium contrahi posse, *C. fin. de procurat.* ob quam causam etiam matrimonialis causa per eundem ventilari poterit, *c. 10. de procurat.* Præsertim cum in Spiritualibus generaliter mandatarium III. Matrimonialis.

tarium admittat Pontifex, *C. fin. de Judic. in 6to.* Ziegler. *ad lib. 2. Decretal. tit. 13. cap. 14. §. 5.* Verùm, cùm in matrimonialibus citati hodiè in foro Ecclesiasticô, sive nostris Consistoriis; non per mandatarios, sed in propria personâ comparere teneantur, propter favorem matrimonii & ad causam facilitandam: uti de praxi Saxonicâ testatur Carpz. *L. 3. Jpr. Consf. def. 31.* & de Consistorio Electoris Brandenb. hoc notum esse, dicit Dn. Stryk *in usu Mod. l. 3. t. 3. §. 16.* add. Brunn. *J. E. l. 3. t. 3. §. 1.* Hinc in his juramentum in animam Principalis non facilè locum inveniet. Accedit, quod juramentum, præprimis voluntarium, ad matrimonii dissolutionem tendens, non admittatur. *c. fin. X. de transact.* Non enim est in potestate partium matrimonium pro lubitu dissolvere, Philip. *ad Decis. Elect. 18. obs. 6.* Setser *de juram. c. 4. n. 7.* quia quos Deus conjunxit, homo separare non potest, *c. 2. X. de transact.* Bronchorst ad *l. 35. ff. de R. J.* Quòd si tamen controversia de promisso matrimonio non aliter, quàm per juramentum expediri possit: tunc eam in judiciis admittendam esse, defendit Brunnem. *ad l. 9. n. 26. ff. de jurejur.* Cumprimis autem juramentum purgatorium, in stupro, stupratori neganti potius deferendum est, quàm fœminæ suppletorium; Brunnem. *3. Dec. 35.* præprimis, si indicia sufficientia id judici svadeant, Schilter. *Inst. Jur. Can. l. 2. t. 10. §. 47.* Imò Carpzov. *3. Consf. 47.* ob solam stuprationem Juveni juramentum purgationis de non factâ promissione matrimoniali deferendum esse negat. Quod quidem procedit, si aliæ præsumtiones non concurrant, & persona, cum qua stuprum commissum, sit levis & impudica: aliàs affirmativam veriorem esse dicit Richter. *Dec. 8. n. 91.* mutuâ tamen conversatione, donatione & amicabili sermone, de amore habili matrimonium probari neg. Heig. *p. 2. q. 16.* ubi exemplum de Sene, qui quæsivit à Puellâ, *num etiam Senem amare possit?* ac addit, certum esse per amores ac calores juveniles matrimonium non probari, neque inferri ad matrimonium, si probetur quendam mulierem vehementer adamasse. vid. ibid. Mascard. *de probat. 2. concl. 1032. n. 5.*

IV. *Ingenuitatis ac servitutis*

Th. V. Quod de causâ matrimoniali diximus, idem in causâ ingenuitatis ac servitutis obtinere putamus, cum maxima hic adsit affinitas: adeò, ut & matrimonium speciem servi-

vitutis dicat. Heig. *p. 2. q. 16.* Sic de utraque causâ scriptum est, quod majores Judices habere debeat, & arbiter in his non admittatur, *c. 9. de restit. in integr.* Ac sicut non est in potestate partium matrimonium dissolvere, ita nec in potestate partium est, se in servitutem conjicere. Hinc, quamvis in causa ingenuitatis juramentum deferri possit, non tamen hoc procedit in causa servitutis tanquam ardua, in quibus juramentum non deferri facile solet. Brunn. *ad l. 6. n 1. seqq. C. de jurejur.* Gail. *2. obs. 94. in Princ.* Bachov. *V. 1. D. 21. th. 10. lit. A.*

Th. VI. Causas criminales quod concernit: in hisce per mandatarium jurari posse, negandum esse videtur; Cùm regulariter in specie in processu inquisitorio ad merita causæ tractanda, mandatarius tam à parte accusatoris, quàm rei intervenire, neq; de Jure civili *l. 13 §. 1. ff de publ. Jud.* neq; Canonico possit. *c. 5. de procurat.* & quamvis hodiè cesset inscriptio: nihilominus actorem per mandatarium agere non posse; vult Dn. Stryk *us. modern. l. 3. t. 2. §. 4.* cùm hæc prohibitionis ratio, nec sola, nec adæquata sit; sed obstet adhuc genuina ratio, quod scil. persecutio delictorum publica non sit in arbitrio accusatoris, cùm privatæ actionis tantum mandatarius detur. De praxi tamen contraria testatur Dn. Struvius *in Comment. ad L. 5. Decret. p. 11. obs. 3.* & *Ex. 7. th. 32.* maximè si læso vinculô cognationis vel aliàs conjunctus sit mandatarius, Mynsing. *4. obs. 34.* add. Carpz. *pr. crim. p. 3. q. 105. n. 2.* Cur verò reus nec hodiè per mandatarium comparere possit, ratio esse videtur, ne per mandatarium absens mentiatur, quæ præsens dicere erubesceret. Sic (1.) rei præsentia in delictis maximè facit ad veritatem eruendam, cum tortura in procuratore non habeat locum. *l. 10. §. pen. ff. de Quæst.* Carpz. *d. l. n. 44.* (2.) necessaria est præsentia ad condemnationem; ne judicium reddatur elusorium: nam absens condemnari non potest. *l. 5. ff. de pœnis.* Carpz. *d. q n. 42.* Nec obstat, quod mandatarius satisdare possit, cum satisdatio in criminibus gravioribus (de quibus nobis hîc est sermo) idonea non intelligatur: ad peculiarem pœnam enim se saltem quis obligare potest, Carpz. *d. l. n. 43.* Alia ratio est, si pœna solùm sit pecuniaria, vel etiam secundùm mores hodiernos relegatio. *l. 1. An per alium caus. Appell. l. 2. C. de procurat. l. 5. ff. de*

V. *Criminalis.*

Obj.

pœn.

pæn. Farinac. *q.99.n.67.* Nam hæ pœnæ executioni dari possunt, etiam absente reo, Menoch. *l.1.q.80. n.5.* Farin. *d.l. n.76.* Et parum interest Reipubl. an immediatè à delinquente consequatur pœnam pecuniariam, an mediatè per procuratorem. Dn. Stryk *d.l. §.7.* Sic mandatarius potest quoque intervenire, non quidem ad merita causæ tractanda, sed ad causas absentiæ allegandas. *l.13. §.1. de publ. Jud.* Et de hoc casu etiam loquitur *l.3. C. de accus.* vid. ibid. Brunnem. qui LL. obst. *partim* intelligit de casu, ubi procurator velit innocentiam rei probare, & hôc casu ad judicem super innocentiâ rei instruendum, admittendum esse vult; *partim* etiam ubi statuto permissum sit contra absentem procedere, quod statuta Italorum Saxonum & pacta Domus Brandenb. Pomeran. & Megap. satis docere asserit Idem ad *l.21. C. de pœnis,* Et cum ipsi judici incumbat pro innocentiâ rei laborare: *l. si non defendatur 19. ff. de pœnis,* cur repelleret defensorem hoc onere judicem liberare volentem? Sed cum nobis in præsenti Dissert non sit sermo de defensore, sed de mandatario, hæc ulterius prosequi supersedemus.

Cap. V.

De FORMA JURAMENTI IN ANIMAM PRINCIPALIS.

Thes. I.



PErtractatis hucusque generalioribus, seqvuntur jam specialiora: quorum primum exhibet *formam*, tam *extrinsecam*, quàm *intrinsecam*. Et cum hæc ita rem informet ac constituat, ut sine eâ prorsus esse nequeat: necesse est, ut prius *formam intrinsecam* consideremus. Convenit vero illa cum formâ juramenti in genere, ac consistit in religiosa rei alicujus asseveratione, factâ per invocationem Dei in testem eorum, quæ dicuntur, & vindicem, si fallamus. Nisi quòd persona jurans mutetur, in qua requirimus, ut, ad requisitum ejus, cujus interest juramentum hoc præstari, producat mandatum. Hinc non sufficit, si mandatarius dicat, se ex

forma intrinseca.

I. *allegatio mandati non sufficit.*

ex ore Principis mandatum accepisse, daß er sich auf mündlichen Befehl beziehe. *l. 1. C. de Mand. Princ. l. 10. C. de Aqued.* cum mandatum facti sit, adeoque probandum. Idem dicendum, si mandatum allegat, verum se excusat, quod offerre illud non possit. Illustr. Dn. Præses *in tr. de Gravam extraj. p. 465. n. 2. seqq.*

Th. II. De eo gravis est controversia, an si mandatum generale datum sit, admitti debeat, ùt sufficiens ad hoc juramentum in animam alterius præstandum? quod negamus. Nam quamvis aliàs mandatum generale eundem effectum habeat, quoad omnia; quantum speciale quoad specialia. *l. 21. de leg. 1.* Sic licet quoque procurator generalis in consequentiam & incidenter possit ea, quæ speciale mandatum requirunt; non tamen mandatum generale hanc tribit mandatario potestatem, ut jurare possit; quamvis veniat in consequentiam vel incidenter sit jurandum. *l. 17. §. ult.* & *l. 18. de jurejur.* Seraphin. de Seraphin. *de Priv. Juram. priv. 111. n. 1. seqq.* qui adeò verum hoc esse asserit, ut mandatarius, qui sit conjuncta persona constituentis, sine speciali mandato jurare non possit. Si tamen in mandato generali expresè & specialiter concessa sit potestas jurandi mandatario, tum utique admittendus est. Cum mandatum generale tin illis, quæ specialiter expressa & inserta sunt, æquiparetur speciali. In Camerâ verò hoc mandatum hodiè (quamvis olim) non est sufficiens, sed semper speciali mandato opus est, quô mandans in specie sciat super quo jurandum: nam in illo mandato speciali, tenor juramenti exprimendus est. *Recess. Imp. de anno 1654. §. 43.* Blum. *proc. Cam. tit. 72. §. 10. seqq.* Quamvis verò Carpz. *Proc. tit. 5. art. 1. n. 83.* utile dicat, si mandato generali clausula adjiciatur: Solte auch mein Anwalt einer mehrer Gewalt von nöthen haben als hierinn begriffen / so soll ihm solches alles dergestalt zu verrichten / Krafft dieses freygelassen seyn / als wenn er darüber in specie und cum liberâ bevollmächtiget wäre. Sed clausula hæc in illis punctis, quæ ex suâ naturâ speciale mandatum exigunt, non est sufficiens, cum tali casu verba generalia nunquam sufficiant. Dn. Stryk *in Caut. sect. 2. cap. 11. §. 3.*

II. *nec productio mandati generalis.*

Th. III. Quamvis alii sibi persvadeant, quod par omnium

Differentia mandati ge-

neralis & cum liberâ, mnium procuratorum generalis sit potestas, atq; hinc Hahn. ad Wesenb. *ad tit. de procurat. n. 1.* distinctionem inter mandatum simplex ac cum liberâ tanquam in jure civili non fundatam rejiciat, cùm verò *l. 58. l. 60. ff. de procurat. c. 4. de proc. 6to.* & quotidiana praxis contrarium evincat; non dubitamus asserere, quod mandatarius, qui habet mandatum plenissimum, sive cum liberâ administrandi potestate, utique differat à generali, qui simplex solum habet mandatum: hic enim regulariter alienare non potest, quod tamen ei conceditur, qui mandatum habet cum liberâ. *dd. tt.* Et quamvis jure Canonico per *d. c. 4. de procurat. in 6to.* talis procurator omnia facere possit, quæ procurator speciali mandato instructus, cùm mandatum generale cum liberâ æquipolleat regulariter speciali. *d. l. 58 ff. de procurat.* Brunnem. *ad l. si liberum 10. C. Per quas pers. 106. n. 2.*

III. *non sufficit mandatum cum liberâ.* Hactenus tamen is, qui cum liberâ est, procuratori generali, jure civili comparatur, quod neuter ipsorum illa possit agere, quæ mandatum speciale requirunt, *l. 60. ff. de procurat.* Dn. Præs. in *Anal. ad* Dn. Struv. *S. I. C. Ex. 3. p. 69.* Et cùm nostrum juramentum mandatum speciale requirat, absque hoc non admittendus mandatarius. Fab. *in C. ad tit. de procurat. def. 1.* Hinc tutius semper aget is, cui magnum præjudicium ex hujus juramenti præstatione oriri potest, ut speciale mandatum exigat, præprimis cum dubitet de voluntate Principalis.

Th. IV. Ad mandatum quoque refertur ratihabitio, hanc enim retrotrahi & mandato comparari constat ex *c. 10. de R. I. in 6to & l. ult. pr. C. ad Sct. Maced.* dicitur, quod confirmet ea, quæ ab initio subsecuta sunt. Hæc minus dubii habent, si Principalis contra se à falso mandatario gesta, ratihabere velit, gravius verò inter DD. controvertitur; An si falsus mandatarius *e. g.* in animam Principalis juraverit, Principalis rata habere possit, quæ exinde falsus iste mandatarius obtinuerit. Alii distingvunt

IV. *nec ratihabitio: de jure civ. ratio 1.* nimirum, utrum ratihabitio intra decendium an post facta sit, vid. Gail. *1. obs. 47. n. 4.* Neg. simpliciter Fachin. *8. contr. 61.* Dn. Struv. *S. C. Ex. 7. th. 27.* Dn. Præses *in Anal. ad* Dn. Strux. *S. C. d. l.* ob rationem (1.) quod malitiis & dolis obviandum sit: nam si valeret, occasio daretur Domino, exspe-

ctandi

ctandi finem judicii, & si sententia contra se proferretur, eam non ratificaret; si pro se, ratificaret, quod esset iniqvum, (2.) quod si sententia pro falso procuratore fertur, adversa pars jam quæsitam habeat exceptionem nullitatis, quæ illi non potest eripi per Principalis ratihabitionem : atque hæc sententia juri quoque civili congruit. *l.3. §.1. Rem ratihab.* & *l.24.C. de procurat.* Equidem Brunnem. *ad l. 14. C. de procurat. n.16.* & *in Process. civil. c.1. n.80.* statuit, quod Principalis juramentum à falso mandatario in animam ejus præstitum, in sui commodum ratihabere queat. Et sibi imputare debeat adversarius, quòd mandatum non exegerit. Mev. *6. Dec. 139.* Quando enim actus alterius nomine gestus ab initio habuit omnia essentialia solô deficiente consensu illius, superveniente eo, retro validetur. At verò (1.) hîc non quæritur de casu quô scit adversarius, mandatum illud falsum, & propterea nullum esse. (2.) Si vel maximè sciat, tamen hactenus securus est per *l.24. C. de Procurat.* maximè quod non ipsius tantùm sit, in mandatum inquirere; sed & judici incumbat, ut ex officiô moneat; sicubi judicium substantiâ suâ, velut casu illô, quô constat mandatum planè nullum adesse, careat. (3.) Consensus non potest retrahi in emolumentum Principalis unius, si hoc cederet in damnum alterius. Et hanc sententiam in foro obtinere testatur Wurmserus *IV. Controv. tit.13.c.8.* Quicquid *Gailius* sentiat: de quô vid. Dn. Præsidem *d. l.* *ratio 2.*

Th. V. Porrò de chartâ blancâ à Domino subscriptâ & subsignata sciendum, cum hæc locô mandati ad alia negotia expedienda non semper sufficiat; multò minus id mandatario sufficiens fore ad præstationem juramenti in animam Principalis, sive ejus, qui ei chartam blancam dedit. Berlich. *p.1. concl. 14. n. 91.* Carpz. *tit.5. art.1. n. 110. seq.* Accedit quod ex chartâ blancâ non satis constet de voluntate Principalis, an hic velit, ut juramentum per mandatarium in animam ejus præstetur. In dubio verò id solum censetur concessum, quod generaliter ac communiter concedi solet; non verò id, quod specialem aliquam requirit concessionem, uti hoc juramentum *l. 58. & 60. ff. de procurat.* Cùm verò de his variis mandatis maxima sæpius *V. nec charta blanca.*

pius

pius occurrat in judiciis disceptatio; maximô utriusque partis damno, hinc optandum esset, ut consilium Brunnem. in judiciis attenderetur. Dicit enim hic in *proc. civil. cap. 1. n. 75. maximè facere ad abbreviandum processum, si procuratoribus nomine absentis partis agentibus certa & solennis formula mandati sub pœnâ praescriberetur, in quâ omnia mandati requisita continerentur, ut nihil in illâ desiderari possit, ut ita disputationibus illis circa mandata obviari possit:* qualia mandata typis exscripta in plerisque ferè Dicasteriis & vel summis in Imperio habentur, in quibus spatium aliquod passim relictum, cui nomen constituentis & causa in litem vocandi, cum cæteris, quæ variant, inscribi possit.

In Camerâ Contumacia mandatarii non nocet Domino.

Th. VI. Cæterum quamvis contumacia procuratoris vel mandatarii noceat Domino, maximè in iis, quæ pertinent ad judicii processum. Gail. *1. obs. 89.* Si tamen mandatarius recuset jurare: hoc in dispendium Principalis in Camerâ ex æquitate non assumitur; Gail. *d. l.* Obrecht. *de Juram. calumn. c. 12. n. 23.* quamvis mandatarius quandoque pœnâ pecuniariâ mulctari soleat. Quod eò magis locum habet, cùm non solùm lis à procuratore contestata, sed etiam ad probationes deventum sit. Ruland. de Commissar. *l. 2. c. 14. n. 8. & 15. in fin.* Cessat verò hæc pecuniaria pœna, si propterea mandatarius recuset, quod in quâcunque parte judicii intelligat, suum Principalem injustam fovere causam. Brunnem. *proc. civil. cap. 15. n. 25. & 26.*

forma externa. Locus.

Th. VII. Missâ juramenti in animam Principalis formâ internâ; ad externam pergentes, eandem spectamus (1) *respectu loci.* Et quidem præstari solet hoc juramentum regulariter in loco publicô, in quô ipse Principalis præstare debebat. Non tamen putamus, competere mandatario beneficium, quod ipsi Principali ob singularem dignitatem, adversam valetudinem, vel aliud impedimentum, in *l. ad personas egregias 15. ff. de jurejur.* tribuitur. Quænam verò veniant nomine personarum egregiarum, vid. apud Menoch. *2. de arbitr. & judic. 2. cas. 70.* Optat Brunnem. *Jur. Eccl. l. 3. c. 5. §. 10.* ut quoties juramentum in causis Consistorialibus præstandum toties illud præstetur in loco sacro seu templo; quod faciat ad majorem reverentiam

circa

circa juramentum adhibendum; Sicuti apud Judæos juramentum præstitum fuisse, vel in conspectu templi, vel facie ad templi situm conversâ, colligi potest ex sapientissimis Regis Salomonis verbis *1. Reg. 8. vers. 31. nam veniet execratio ante altare tuum in domum hanc &c.* Sic etiam adhuc hodiè jurant Electores in Electione Imperatoriâ ante altare, & Imperator ipse post Coronationem utrâque manu super altare positâ jurare solet, A.B. *tit. 2. pr.* de Jena *de Elect Imper. disp. 5. th. 9.*

Th. IIX. Externæ formæ juramenti in animam Principalis partem etiam constituit (2.) *Ritus.* Negari quidem non potest, formale juramenti in exterioribus illis ceremoniis non consistere, sed in religiosâ invocatione nominis divini in testimonium, Setser. *de juram. l. 2. c. 2. n. 12.* Hinc ceremonias illas adjectitias salvâ juramenti substantiâ abesse posse. Carpz *l. 13. Resp. 49. n. 4. & 5.* Alia verò est quæstio, an non ritus salvâ conscientiâ adhiberi possint? quod utique affirmamus: præprimis, qui ad præcavendum perjurium faciunt, quatenus scil. per hos ritus commonentur jurantes de arduô quod gerunt negotiô; plures hujus receptæ solennitatis rrtiones vid. apud Setser *d. tr. l. 1. c. 15. n. 20.* Optimum est consilium, quod suggerit Winther in *Parth. litig. cap. 6. n. 24.* ut huic actui semper intersit unus vel alter Theologus, (quia jurameutum est quasi tortura, per quam animus demonstratur, spiritualis) ut jurantem moneat diligenter de perjurii gravitate, & minetur ejus gravissimam pœnam; si verò Theologus non sit actui huic præsens, judex etiam non imploratus id facere tenetur; tanquam officii ratione ad id obligatus, & si neglexerit sauciatam sanè habebit conscientiam, atq; non solùm animam jurantis, sed etiam propriam trahit in perniciem, si perjurium ob neglectum suam comonitionem commissum fuerit. Reliqui ritus in juramentô in genere adhiberi soliti, hic etiam locum habent; simili modo, acsi ipse Principalis juraret. Sic investitura Feudi Principis peragitur armis depositis à vasallô vel mandatariô in genua procumbente, tacturâ Evangelii, additô osculo coni in gladii manubrio, & capite denudatô, &c. Myler. *de Princip. & Statib. Imp. p. 2. c. 92. §. 5.* Cùm verò certum sit plerisq; in locis hujus actus solennitates variare; quandoq; enim requiritur,

Ritus.

prio-

priorum digitorum manus dextræ erectio, apertura januarum, fenestrarum, capitum denudatio, confidentium surrectio, ut juramentum præstetur jejuno stomacho. *c. 16. c. 22. q. 5. c. 1. de testib.* Ita Consvetudo & Statuta locorum respicienda sunt. Illud verò hic tanquam speciale adhuc notandum, quod mandatarius exhibito mandato, Principalis sui absentiam excusare teneatur. vid. Europ. Herold *p. 66.* Dn. Stryk *in Append. ad Ex. J. F. N. 1. p. 344.*

formula. Th. IX. Ad juramenti in animam Principalis formam externam pertinet etiam (3.) *formula*, quæ quodammodo discrepat ab eâ, quæ ipsi Principali, si præsens est, prælegitur. Nam si juramentum fidelitatis à Mandatario præstatur, ita concipitur. Ich Sempronius, als Gevollmächtiger Mœvii, schwere und gelobe in dessen Gewissen und Seele / &c: dem N. getreu / gehorsam und gewärtig zu seyn &c. So wahr Ihm Gott helffe. Dn. Struv. *Synt. J. F. c. 8. §. 6. n. 5.* Sic in præstatione juramenti dandorum parti ponenti solet talis prælegi formula. Ihr sollet einen Eyd zu Gott schweren (si verò mandatarius partis est) Ihr als Anwald werdet schweren einen Eyd zu Gott (vel, ut in quibusdam judiciis) In Euer selbst und euers Principals Seele schweren / daß die positiones und Articul / die ihr in dieser Sachen übergeben / so viel derselben euer (si mandatarius, euers Principals) eigen Geschichte und Handlung belangend wahr &c. Kayß. Cammer-Gerichts-Ordn. *p. 1. tit. 69. seqq.* Bocer. *Cl. 6. Disp. 18. n. 21.* ubi *n. 22.* addit formulam juramenti respondendorum. Plures ejusmodi formulæ adduci possent; sed ex his discrepantiam satis constare putamus. Interim formulam procuratorii in judicio Imp. Aulico vid. apud Joh. Leonh. à Pühel *de tutel. Princip. cap. 10. n. 54. seqq.*

CAP. VI.

De JURAMENTI IN ANIMAM PRINCIPALIS FINE.

THES. I.

THES. I. *Finis.*



Ormam tam internam quam externam jam vidimus. Nunc ordinis ratio nos deducit ad *finem*, qui præter id, quod gestum magis firmetur, vel etiam, ut veritas magis patefiat; partim respicit utilitatem publicam, partim privatam.

Th. II. Constat ex *pr. J. de iis, per quos agere.* olim neminem aliô nomine in judiciô experiri potuisse, nisi 4. casibus, pro populo, pro libertate, pro tutela, & pro furto eorum nomine, qui apud hostes vel Reipubl. causa abessent. Cùm verò hoc non minimam haberet incommoditatem, quod alienô nomine agere non liceret, cœperunt homines, qui rebus suis ipsi superesse vel noluerunt vel non potuerunt, per procuratores litigare: *d pr. J. l. 1. §. 2. ff. de procurat.* ac etiam hodiè tanquam maximè utile Reipubl. permissum, imò moribus passim receptum, ut nemo suô nomine, sed tantùm per procuratorem litigare in judicio possit. Giphan. *ad d. pr. de iis, per quos agere.*

Th. III. Cum itaque Reipubl. utilitas maximè hoc svadeat, ut lites tanquam Reipublicæ pestis eò citius ac commodius exitum sortiantur, quæ aliàs ob absentiam Principalis, si fortè in longinquis ultra mare vel ingnoretur, ubi sit vivus an mortuus, quandoque infinitæ redderentur. Hinc etiam LL. non denegant media ad finem hunc obtinendum necessaria, sed admissô mandatario, ei etiam concedunt cuncta, sine quibus mandatum impleri non potest. *arg. l. 56. & 62. ff. de procurat.* Hinc eleganter dicit Grotius *in non satis laudando tr. d. J. B. & P. l. 3. c. 22. §. 4. n. 2.* quod conjectura dictet, ut concessum intelligatur id, sine quo non satis commodè quæ officii sunt, expediri possunt. Et admissus ad causam, censetur quoque ad emergentia admissus. Dn. Præses *de Gravam. extraj. p. 309. n. 38.* Dum igitur Reipubl. expedit per alios agere; non potest, non etiam constare, quod juramentum mandatarii in animam Principalis, utilitatem publicam respiciat. Sanè si pars Principalis, è longinquâ, quandoque ultra mare dissitâ regione, semper ad hunc actum in propriâ personâ comparere deberet, tardissimè victoriam de lite reportaret satis cruentam; quod sine *utilitas publica.*

cujus maximè intereſt, ne partes ſuperfluis ſumtibus, ultra modũ graventur, & ne cives ad incitas redigantur. Sic etiam in eo Reipubl. verſatur utilitas, præprimis tempore belli, ut Princeps non diſcedat è ſuo territorio; quod ſanè facere deberet, ſi non per mandatarium vel legatum ſuum ſufficienti mandato inſtructum jurare poſſet. *Obj.* Dicis: hôc caſu à parte adversâ legatus poteſt mitti, qui ab ipſo Principe juramentum ſuſcipiat; concedi hoc poſſet, modò res ſemper pateretur moram.

Utilitas privata. Th. IV. Privatos ex hâc juramenti præſtatione maximum ſentire commodum, nemo ſanè dubitabit cùm eorum morbus, neceſſaria peregrinatio, itemque multæ aliæ cauſæ, ſæpius impedimento ſint, quò minus rem ſuam ipſi exequi poſſunt. *pr. J. de iis, per quos agere.* I. *ratione muti.* Quale quid occurrit in muto, ſi ſpecialis ratio verbalem juramenti præſtationem deſideret, modò interrogatus, an velit, ut aliꝰ ſuô nomine juret, clarè annuat. Explicandum tamen ipſi prius quid juramentum in animam alterius involvat. Præjudicium habet Finckelth. *obſ. 45. n. 18. & 20.* ubi carnificem Urphedam nomine furis præſtitiſſe refert. Quamvis aliàs negari non poſſit, mutum quandoque in perſonâ propriâ jurare poſſe, ſi ſcribere vel aliàs mentem ſuam ſatis explicare poſſit; quia juramentum præſtatur Deo, qui novit hominum mentes & corda, licèt non loqvantur. *c. 6. c. 14. q. 4.* Verba verò non requiruntur tam ad juramenti præſtationem & prolationem, quàm ad conceptionem. Setſer *de juram. l. 1. c. 9. n. 2.* Quamvis alii requirant neceſſariò verba ab eo, qui loqui poteſt: ſecus in iis, qui non poſſunt. Fachin. *5. Centr.* 7. Illud tamen concedendum, quod verba faciant ad faciliorem ipſius juramenti probationem; non etiam, ut ad illius eſſentiam requirantur. Seraph. de Seraph. *de Privil. Juram. privil. 22. n. 16.*

II. *ratione Senum & pauperum,* Th. V. Sic etiam litigatorum ſ[e]nectus, ad moleſtias & incommoda itineris ſuſtinenda impar, & magnorum ſumtuum ad peregrinationes neceſſariorum defectus, quandoꝗ non permittunt, ut ipſi Principales ſe ad jurandum in propriâ perſonâ præſentes ſiſtant; atque ſic jam finem litis ſ[e]ſe aſſecutos gaudentes, miſeri litigantes, Deo adhuc gratias publicè agendo, litem deſerere cogantur, ne majores evadant litium expenſæ, quam fructus ſententiæ: quod non rarò proh dolor! evenire ſolet, præprimis in

iis

iis judiciis, ubi sine causâ, prima, secunda, imò tertia dilatio à judice concedi quasi pro lubitu solet,& sic abutuntur potestate,à Principe tanquam dilationum authore, ipsis concessâ, Ziegl. *de Jur. Maj.l.1.c.48.n 6.* non respicientes. *l. properandum. 13. C. de Judic.* Quod profectò non fieret,nisi etiam quamvis frustratoriam dilationem, in partis favorem aliàs primariò concessam, Judices, ob interesse sportularum (quod nullam dilationem recipit) suam facerent. Atque hinc illud, quod in favorem partis concessum in damnum ejus malè vergat. Ut hâc ratione multi, prout Val. Winth. *in Parth. litig.* rectè inquit : *sub justitiæ clypeô pereant & justitiæ titulô vexetur egenus & insons.*

Th. VI Principibus,Statibus,Prælatis,aliisq; similibus,qui aliàs etiam per nuncios, sive mandatarios, quid impetrare consveverunt, Dn Præses *de Gravam.extraj.p.592.n.2.* maxima quoque obvenit utilitas,quod per mandatarium, seu Legatum , feudum acquirere & renovare, ac per consequens juramentum fidelitatis præstare, possint. *2 F. 3.* Myler. *de Pr. & Stat. Imp. p.2,c.92. §.5.* Schweder. *Introd. in Jus pub.. part. spec. sect.1.c.9.§.8.* Non quòd coram Cæsare in genua procumbere vereantur : cùm id Status quoque præcipui, Electores etiam,quando prima illis Investitura contingit, non detrectant; neque aliàs Legatis aliter quàm expositis causis, cur ipsi Principales comparere non possint, utuntur ; nisi quòd tunc Vasalli ipsi semper utantur Legatis, quando Dominus feudi Vasallo inferior est; ut Episcopus Bambergensis respectu Electorum, quibus feuda quædam confert Schwed *d.l.c.8.n.2.* vid. tamen Dn. Præses *in Anal. ad dict.c.9.§.8.* Sic Serenissimo Electori Brandenburgico privilegiũ competit,quòd non in propriâ personâ, investituram feudorum Bohemicorum petere teneatur. Europ. Herold *p.135.* ubi quòd addit : hoc privilegium observantia etiam aliis Electoribus,ac Principibus,non solùm ratione feudorum Bohemicorum; sed etiam Imperii tribuit,minimè agno-

III. *ratione Personarum Illustrium.*

blicis non compareant; ne dum conventibus virorum vel judiciis intersint, in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant. *l.21.C.de procur.* Sicut nec apud Romanos fœminis ulla actuum publicorum communio fuerat, Gellius *l.5.c.19.* nec unquam Senatum Romanum ingredi poterant, saltem ut cœtum virorum intuerentur. Lamprid. *in vita Heliogab.* Maximè igitur his expedit, ut per mandatarios suos comparere possint, ac per illos, sicuti actus alios; ita etiam juramentum præstare possint. *C.un. de Stat. regul. in 6tô.* Atque hæc singula ita sese habent, tam in fœminis plebejæ sortis, quàm Illustri titulô coruscantibus.

quàm plebejæ sortis.

CAP. VII.

DE EFFECTU JURAMENTI IN ANIMAM PRINCIPALIS.

THES. I.

Effectus,



Perpensô fine, restat nunc examinandus effectus, qui maximè consistit in obligatine, quâ Principalis obstringitur ad id servandum, quod à mandatario ejus jussu suô juratum; modò juramentum hoc in animam Principalis, non præstitum sit de re illicitâ, aut naturali, aut divinâ, aut humanâ interdictione tali; Sicuti enim hoc non obligat, quamvis ipse Principalis juraverit; uti exemplum habemus in Davide, qui Nabali pepercit, quem occisurum juraverat. *1.Sam.25.v.34.* Multò minus obligabit, si nomine ejus, tali casu, alius juramentum præstiterit. Si verò super re licitâ à mandatariô in animam Principalis juratum sit, non dubitamus, Principalem naturaliter ex hoc juramento obligari; cùm obligatio effectus necessarius sit juramenti, præprimis promissorii. Ziegler. ad Grot. *l.2.c.13.§.3.& 15.* Franzk. *l.2.res.6.* Si enim ex simplici alterius promissione mandato meo factâ, naturaliter obligor; cùm velle censear, quod in alterius voluntate posui. Grotius *d.tr.l.2.c.11.§.12.& §.18.n.2.* quidni ex juramento alterius voluntate meâ in animam meam præstito naturaliter obligarer? cùm juramentum nihil aliud sit, quam jurata promissio. jam verò quid violatione promissionis, præcipuè tantâ cum religione datæ, magis à naturali ratione abhorret? vid. Setser. *d.tr.l.2.c.1.n.2.* Non obstat, quod Cujacius *l.22.obs.7.* in casu *l.56.pr.ff de fidej.* ex jurejur: ne quidem naturalem obligationem nasci asserat. cùm

Obligatio naturalis.

Obj.

non

non loquatur de obligatione naturali simpliciter tali, sed respe-ctu juris civilis considerata: quatenus scil. jus civile huic obligationi nullos effectus tribuit; Sed totam obligationem ingenui, operas officiales, sive stipulatione, sive jurejurando promittentis, improbat. *l.7.l.9.§.1.de oper.libert.l.10. de obseq.par. & patr.praest.* Conf.Franzk. *Ex 9.q.1.* Illud tamen sciendum, quod omne juramentum in se non producat novam & peculiarem obligationem; sed obligationi in se validae, velut accessorium quoddam vinculum quandoque superveniat.

Th. II. Celebris aliàs est controversia, utrum ex promissorio juramentô jure civili ac canonico oriatur obligatio ad actionem producendam efficax? quod rectius de jure civili negatur. *l.56.pr.ff.de fidejuss.* ubi Gothofred. *lit.l.* juramentum non est modus inducendae obligationis civilis, rectè inquit: & cum nudam promissionem complectatur instar nudi pacti valet, quod actionem non producit. *l.7.§.4.ff.de pact. l fin.ff.de jurejur.* Dn.Praes. *in Anal.ad Dessel.Erot. l.2.tit.24.Q.3.* Contrariae sententiae Authores fuêre Ultramontani DD. quos inter alios sequitur Seraphin.de Seraphin. *de Privil.Juram.priv.19.* commoti per LL.seqq. & quidem (1.) *l.7.pr. de oper.libert.& l.ult.ff.de liber.caus.* Sed hi textus loqvuntur solùm de speciali casu, nempe juramentô liberti, hinc solum est exceptio, quae regulam in casibus non exceptis confirmat; ratio exceptionis respicit libertatis beneficium; hinc in aliis personis, secus dicendum. Fachin. *3.Contr.12.* (2.) *l 1.C.si advers.vendit.* quae vult, juramenta esse inviolabiliter servanda, & eis confirmari contractus & pactiones. E. etiam videtur in consequentiam dicendum, ex eis oriri obligationem. Sed neg. Conseq. Cum illud non sit inventum, nec aptum ad obligationem producendam. Ita etiam ad caeteras LL.obst. generaliter Resp. potest, quamvis dicatur jurantem compelli debere, ad id praestandum, quod juravit. Sed non jure descendentis obligationis ex juramento, sed ex contractu vel quasi cui juramentum hoc accessit, cùm juramentum obligatio-

Ex Juram. jure Civ. non oritur oblig.

Obj. 1.

Obj. 2.

Differt. de pactis §. 18. Accedit, quod nullus locus proferri Jure canonico possit, ubi probetur actionem & obligationem oriri ex juramento. Fachin. *3. Contr. 12.* Dissentit Seraphin. de Seraph. *d. tr.*
Obj. 1. *Priv. 19.* Gothofred. ad *l. 56. pr. ff. de Fidejuss.* motus. *c. 6. & c. 28. X. de jurejur. c. 2. de pact. in 6to.* Sed eadem responsio his tt. potest applicari, quam in *th. prec. ad LL.* obstantes dedimus. Nec obstat, quòd
Obj. 2. dicatur: juramentum præstari parti, quæ illud potest remittere; Consequentia enim, quæ exinde deducitur, est falsissima. E. parti juramentum obligationem & actionem tribuit, cùm pars solùm cui præstatur juramentum, jus habeat, ut possit ad servandum juramentum, jurantem ope judicis compellere, ac illud jus remittit, cùm juramentum remittit. Cæterùm, primaria Dissentientium
Obj. 3. ratio, cur scil. jure canonico juramentum obligationem pariat, esse videtur, quod hôc jure pacta nuda obligationē ad instituendam actionem efficacem, producant. Hinc concludunt: si hæc vis pactis nudis tribuitur, sanè juratæ promissioni minus denegari puterit, cum juramentum habeat vim consensus geminati, secundùm Gloss. *in d. c. cum contingat 28.* Sed cum de fundamento illo, cui sententiam suam Dissentientes tutò superstruunt, adhuc sub judice lis sit; adeò, ut nos suppositum illud potius negemus. Hinc necesse est, ut dirutô fundamento etiam corruat id, quod ei superstructum est, vid. Dn. Præs. *in Anal. ad* Dn. Struvii *Synt. J C. Ex. 17. th. 11. & dict. Diss d. l.* ubi inquit: quod Canones tantùm religionem ingerant, si pactio fortè deliberata fuerit; aliàs eô jure actionem non competere verius esse. add. Setser *de Juram. l. 2. c. 1. n. 2.* Fachin. *2. contr. 100* qui ne quidem ex pactô nudô juratô, actionem oriri statuit, ibique *Gloss. supr. cit.* refutat.

Th. IV. Cum itaq; satis evictum sit, quod neq; Jure civili, neque canonico juramentum, etiam ab ipsô Principali præstitum obligationem ad agendum in foro civili efficacem, producat; sed solum animum jurantis metu pœnæ perjurii stringat, & obligationi præexistenti, jam tum vim actionis pariendi habentem, vinculum religionis adhuc annectatur; non verò ad effectum agendi concurrat: Hinc multò minus juramento mandatarii in animam Principalis præstito hic effectus tribuendus; Frustrâ verò malitiosi Principales exinde ad callum conscientiæ obducendum sibimet ipsis svaviter adulantur: pejerare per procuratorem, non esse

esse grande nefas, sed peccatillum veniale. Vanum quoque est solatium, procuratorem, qui nomine eorum falsò juravit, etiam ipsorum nomine descensurum esse in gehennam. Nolite errare, Deus impunè non irridetur. *Gal.6.7.* Qui propterea temporaliter multis parcet, ut æternùm eos puniat gravissimè: Habebitis enim sine dubio, tanquam juramenti fraudatores, eandem perjurii pœnam, ac si corporaliter jurassetis in propriâ personâ; nec ibi locum habebit substitutio mandatarii, ad pœnas vestrô nomine sustinendas.

Th. V. Cæterum, eôdem modô, quô Principalem obligatum diximus, obligatur etiam quandoque mandatarius; præprimis hoc videmus, in juramento calumniæ. Gail. *1.obs.89.n.1.* add. formulæ *supr.c.5.th.9.* adductæ. Frustrà igitur mandatarius in re tam arduâ sibi persvadet, juramentum calumniæ tantùm Principalis, nõ verò suam obligare animam. Idem enim esset, ac si quis vellet peccare; non tamen reus vellet esse damnationis; quamvis n. non velit posterius, nihilominus in priori censetur voluisse posterius implicitè & virtualiter. vid. Osiand. ad Grot. *l.2.c.13.§ 3.p.965.* Falsâ hâc persvasione, major sanè adhuc corruptela est, quæ malitiosô hôc seculô obtinet, dum scil potius de calumniâ committenda, quàm fugiendâ sæpius jurant: quæ peccata tanquam latentiâ, quamvis in foro soli, Magistratus animadversionem declinent, Certò tamen in foro Poli, ultioni divinæ reservantur. Si enim omnia in hoc seculô essent vindicanda, non haberent locum judicia divina *c.1.C.15 q.6.* Non tamen exinde inferendum, quasi mandatarius salvâ conscientiâ in alterius animam jurare non possit; hoc ipsô enim falsum diceremus illud, quod antea tanquam verum supposuimus: sed id solum exinde deducendum, quod mandatarius non cum levitate aliquâ, ex consvetudine, quasi ad hoc juramentum, ad cujuslibet petitum prosiliat: cùm jurisjurandi religione, secundum Dei præceptum, non ut cibo, verum sicut condimentis ad necessitatem uti oporteat. Cothman *vol. 1. Resp. 11.*

Obligatio mandatarii.

Obligatio Princip. non desinit morte mandatarii. in *Præfat.l.1.de Proceß.& Mandat.* De eô facilè constat, quòd mortuô mandatariô Principalis nihilominus maneat obligatus ex juramento in animam suam præstito.

CAP. IIX.

DE DISSENTANEIS AC AFFINIBUS.

THESIS I.

Contraria.



Nspeximus hactenus ea, quæ juramento in animam Principalis sunt consentanea: subjicienda jam sunt dissentanea; quò pertinet personarum ad præstandum hoc juramentum, tàm naturalis, quàm civilis inhabilitas; Sed cum de his actum sit in *c.2.th.10.seqq & c.3.th.3.seqq.* ac de aliis in *c.seqq.* Hîc breves erimus in enumerandis contrariis.

I. *Si Statutum exstet in contrarium.* Th. II. Hoc solum adjicimus, quod huic juramento etiam non sit locus (1.) Si statuto illud sit prohibitum; quale extat in Curiâ Electorali Lipsiensi, Setsir *de Juram. c.5.n.9.* Nec non in Ordin. Judic. Francof. ad Mœnum *tit.23.§.6.* & refert Illustris Dn. Præs. *in tr.de Gravam.extraj p.371.n.6.* de Judæo quôdam Francofurtensi, cùm ejus procuratori processus denegaretur, salvô conductu sibi præstito, Francofurtum eum se contulisse, ibiq; in personâ jurasse. Quid Jus Saxon. aliorumq; locorum Statuta hâc de re disponant vid. Carpz *in proc.tit.12.art.1.n.34.* & alios Auth. *c.2.th.9.citatos.*

II. *Si præsentia principalis sit necessaria.* Th. III. Non quoq; locum habet hoc juramentum, (2.) Si Principalis ex certâ causâ, ad requisitionem superioris, in propriâ personâ tenetur jurare, quod contingere potest, si Principali causa sit notior. *c.3. de Juram. calumn.* Hillig. *l.24.c.3.lit.K.* Joh. à Sande *tit.9. def.1.* Conf. Ziegl. *ad Lancell.l.3.tit.1.§.13.* Vel si Judex ex Principalis vultus pallore, consternatione, titubatione ac inconstantiâ sermonis, indicia quædam sumere posse credat. *l.10.§.pen ff. de Quæst.* Sic quoque, si Dominus ex gravi causâ præsentiam vasalli requirat, mandatarius non admittitur, si videre fortasse vel admonere Vasallum velit. Plures causas vid. ap. Rosenth. *cap 6. concl.37. in fin.* quod tamen ita intelligunt DD. ut ob justas impedimenti causas adhuc vasallus per mandatarium comparere & jurare possit. Dn. Struv. *Synt.J.F.c.8.th.6.n.5.*

III. *Si mandata-* Th. IV. Deniq; (3.) mandatarius non potest jurare in animam omnium, si unus consortum solùm ipsi mandatum dederit. Mev.

p.5.d.391. Aliud dicendum est, si omnes mandatarium elegerint ac speciale mandatum dederint: Hic enim e. g. fidelitatem nomine omnium Domino jurare potest. Bocer. *Cl.5. D.18. n.46. in not.* Ita quoq; substitutus, à mandatario, etiam speciali mandato instructô, datus ad juramentum in animam Principalis præstandum non admittitur; cùm actus sit maximi præjudicii & sanctissimæ obligationis, in quibus, si singularis personæ industria sit electa, substitutioni locus non est. Nisi tamen potestas substituendi alium, ad hunc actum expresse mandatario concessa fuerit.

rius solùm ab uno consorte mandatum habet.

IV. *à mandatario substitutus non admittitur.*

Th. V. Affinitatem quandam habere videtur cum juramento in animam Principalis, (1.) Si Syndicus vel Seniores, aliquando etiam Juniores, quando hi exactiorem notitiam habent, Carpz. *p.1.c.13.def.3.* nomine universitatis, vel œconomi sive administratores Ecclesiarum, jurant in animas proprias, *arg. c.3. X. de Juram. calum. l.2. §.2. C. de juram. propt. calum.* ibique Brunn. *n.10.* Cùm enim universitas seu Ecclesia sit corpus mysticum, juramentum non potest præstare, quam per procuratorem, qui quasi est Dominus, & creditur nosse causas universitatis sensu carentis. Berlich. *p.1. concl 31. c.23.* Dn. Præses *in Anal.* ad Dessel. *Erotem. Jur. Can. l.2. tit.7. q.4.* Ac hoc juramentum, quoad effectum juris, obligationem scil. sive observantiam & perjurii pœnam, perinde habetur, ac si tota universitas juraverit; paria enim sunt esse talem, vel in omnibus haberi pro tali. Quamvis aliàs propriè ipsa universitas non fiat perjura, cum sit res sine animâ, in quam non potest cadere perjurium Bald. *in l. generaliter. C. de Reb. cred.* (quod dictum esse notandum, menteq; benè tenendum, tanquam quotidianum, monent DD. citati à Seraph. de Seraph. *de Privil. Juram. priv. 83. n.29. seqq.*) Illud tamen sciendum, si universitas ex paucis personis constet: quod tum quandoque singuli ad requisitionem judicis in propriâ personâ jurare soleant.

Affinia. I.

Th. VI. Affinitas (2.) quoque intercedit, si tutores nomine pu- II.

tum fidelitatis, si fortè feudum impuberi concedatur; Cum is, in cujus animam alius jurandô, fidem ab ipsô præstandam promittit, debeat & ipse esse habilis, ad fidem jurato promittendam; habilitas verò hæc, ut suprà demonstravimus, deficit in pupillo. add Illustris Dn. Struv. *in Synt. J. F. c. 8. ʃʃ. 6. n 6.* Idem obtinet in curatore furiosi, & si his inhabilibus personis Dominus feudum concedit, juramentum fidelitatis remisisse censetur; ac cum ipse nullum animi judicium habeat, per curatorem feudum acquirit. *l. ult. C. de curat. furios.* Accedit, quod hæ personæ, ob deficientem consensum, non possint dare mandatum, ad juramentum in animam suam præstandum, necessarium. Excipit Myler ab Ehrenbach *in Etolog. Ordin. Imper. cap. 3. ʃ. 5.* Curatores Principis Pupilli aut Minoris, & hos in petenda feudi titulati investituræ renovatione, ad juramentum fidelitatis absque speciali mandato admittit; cum ipsorum officium eis pro mandato sit. *arg. l. 4. ff. de in litem jurand.* vid. Schrad. *de Feud. p. 6. c. 4. n. 34.* Bocer. *de investit. c. 4. n. 33.* Vultej. *de Feud. l. 1. c. 7. n. 34.*

Conclusio. Addenda quidem adhuc restarent alia, sed hæc peti possunt ex Feltmanni *tr. de promot. absent.* ubi Oldekopium, juramenta in animam Principalis omni jure illicita statuentem, refutavit. Argumenta sua primaria refutatoria huic Dissertationi paucis adjecissem; nisi defectus exemplariorum, proposito remoram injecisset. Quare hæc, de nobilissima inque forô assiduâ juramenti in animam Principalis materiâ adducta L. B. æquô Judiciô suscipere & minus concinnè posita æquè & errata, humanæ conditionis memor, ingenuè corrigere velit. Interim ulteriorem, maximè usitatæ hujus materiæ, deductionem & explanationem mihi rèservo, si DEO placuerit; Cui & jam pro concessâ suâ gratiâ devotissimas persolvo grates. Insuper piis exoptans precibus, ut omnia qualiacunque mea studia cedant in proprium emolumentum, in Patronorum Proximique placitum, & in divini Numinis gloriam, quæ est Dissertationis hujus primarius

F I N I S.